

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6374

Auteur(s) : Guillaume de Semilly junior, fils de Guillaume de Semilli [particulier]

Bénéficiaire(s) : Rouen, Saint-Lô (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1220, février

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Donation au chapitre de Saint-Lô de plusieurs terres et mesures situées au Mesnil Enard, par Guillaume de Semilli.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. De Glanville Léonce, *Histoire du Prieuré de Saint-Lô de Rouen*, ses prieurs, ses privilèges, ses revenus d'après les documents authentiques tirés des archives de la Seine-Inférieure et mis en ordre, Rouen, E. Cagniard, 1890-1891, 2 vol., t. 2, pièces justificatives, n° XXXXII a, p. 356-357.

Texte établi d'après a

Sciant omnes presentes et futuri quod ego Willelmus de Semilli iunior filius Willelmi de Semilli cum essem in etate in asisia domini regis coram baronibus et ballivis suis approbata et essem in possessione feodi mei a domino rege michi redditi concessi et presenti carta confirmavi pro salute anime mee et antecessorum meorum in puram et perpetuam elemosinam Deo et ecclesie S. Laudi Rothom. et canonicis ibidem Deo servientibus hec tenementa subscripta que sunt apud Mesnillum Enardi. videlicet unam acram terre de terra Hugonis del Hamel salvo meo camparto. et quinque virgatas de feodo Pagani de Nofvilete salvo meo camparto et dimidiam acram de feodo Hugonis Blandin salvo meo camparto et dimidiam acram de feodo Anfridi del Val salvo meo camparto et tertiam partem unius acre de feodo Tostani que quieta et libera est de camparto et tertiam partem unius acre de feodo Willelmi Taissun que similiter immunis est a camparto. Hec autem tenementa prenotata concessi eisdem canonicis possidenda et eorum successoribus libere et quiete et pacifice in puram et perpetuam elemosinam de me et heredibus meis sicuti data fuerunt eis libere et quiete in elemosinam, salvis meis campartis. Pro huius autem elemosine concessione dederunt michi iamdicti canonici centum solidos turonenses de recognitione. Et ego pro me et heredibus meis affidavi hanc elemosinam garantizare eisdem canonicis contra omnes tanquam dominus feodi. Licet autem iam dictis canonicis omnem facere voluntatem suam de omnibus tenementis supranotatis sicuti de sua propria elemosina, salvis meis campartis supradictis. Ut autem hec omnia futuris temporibus perpetuam obtineant firmitatem sigilli mei munimine roboravi. Actum anno grate M^o. CC^o. vicesimo mense februarii. Testibus hujus. Domino Gaufrido de Caprevilla canonico Rothom. Radul. de Pavelli. Eustachio de Pavelli. Thoma de Pavelli. Galtero de Sidevill militibus. Ricardo de Normara. Willelmo de Croismara et pluribus aliis.